

oppugnare ultro castellum adorti, metum ut provocantes addiderant; regrediendumque citra Bodotriam et cedendum potius quam pellerentur ignavi specie prudentium admonebant, cum interim cognoscit hostis pluribus ag-
 4 minibus inrupturos. ac ne superante numero et peritia 5
 locorum circumiretur, diviso et ipse in tris partes exercitu incessit.

26 Quod ubi cognitum hosti, mutato repente consilio universi nonam legionem ut maxime invalidam nocte adgressi, inter somnum ac trepidationem caesis vigilibus intrupere. 10
 2 iamque in ipsis castris pugnabatur, cum Agricola iter hostium ab exploratoribus edoctus et vestigiis insecutus, velocissimos equitum peditumque adsultare tergis pugnantium iubet, mox ab universis adici clamorem; et propinqua luce
 3 fulsere signa. ita ancipiti malo territi Britanni; et nonanis 15
 rediit animus, ac securi pro salute de gloria certabant. ultro quin etiam erupere, et fuit atrox in ipsis portarum angustiis proelium, donec pulsii hostes, utroque exercitu certante, his, ut tulisse opem, illis, ne eguisse auxilio viderentur.
 4 quod nisi paludes et silvae fugientis texissent, debellatum 20
 illa victoria foret.

27 Cuius conscientia ac fama ferox exercitus nihil virtuti suae invium et penetrandam Caledoniam inveniendumque tandem Britanniae terminum continuo proeliorum cursu
 2 fremebant. atque illi modo cauti ac sapientes prompti 25
 post eventum ac magniloqui erant. iniquissima haec bellorum condicio est: prospera omnes sibi vindicant,
 3 adversa uni imputantur. at Britanni non virtute se victos,

